Timnoxenia honori et meritis Martini Gilewski oblata.

TIMNOXENIA HONORI ET MERITIS.

Admodum Reuerendi & Clarissimi

D. MARTINI GILEWSKI,

Decani S. Floriani, Sanctæ Sedis Apostolicæ Protonotarij, &c. &c. eius festiuitatis Die

QVO

Pro loco inter S. Theologiæ Doctores in Celebri Academia Cracouiensi obtinendo, Publicam Disputationem habuit, ab alumnis eiusdem,

Oblata.

Anno Domini, M. DC. XXVIII.

CRACOVIÆ,

Jn Officina Typographica Francisci Cæsarij. 1628.

D. Bernardus ſuper Cantica Serm: 30.

SApientia eſt Deus & vult amari non ſolùm dulciter; ſed & ſapienter: alioquin facillimè zelo tuo ſpiritus illudet erroris, ſi ſcientiam negligas. Non enim habet callidus hoſtis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam ſi efficere poſſit, vt in ea incautè, & non cum ratione ambuletur.

Adm. Reueren: & Clarissimo Domino

MARTINO GILEWSKI, Decano S. Floriani, Sanctæ Sedis Apostolicæ Protonotario, &c. &c. Patrono ac Benefactori, S. & O. F.

EXhilarati hac festiuitate, quā nobis dies hodiernus, pridem iam bonis omnibus exoptatā, attulit, Patrone & Benefactor noster colendissime, afferimus eos lapides, in quibus virtutes tuas relucere animaduertimus. Mos is est vetus & cōmunis omnibus gētibus, vt quotiescunq; alicuius lætitiæ apparatus instauratur, qui aliquo modo ad eam pertinent, afferant, quicquid ad eius splendorem augendum pertinere arbitrantur. Tapetas alij Attalicos, Phrygio labore alij textas vestes, peristromata belluata, picta, sculpta, texta, cælata quicquid fortunarum ratio permittit, alacres congerunt. Quibus verò tenuior

conditio res tam pretiosas denegauit florem, ramum, herbam, communes diuitias largiuntur. Nos ad huius festiuitatis amplitudinem lapillos allatos esse voluimus non de nostro: sed de virtutũ tuarum gazophylacio depromptos. Tui sunt proprij, siue vt Sacerdotis, siue vt Doctoris; & Sacerdotes gemmæ sunt in templis, & Doctores in Academijs. Quocirca sereno vultu accipe hoc quod tuum est, & merito tibi debetur. Nos interim Deum Opt: Max: precibus assiduis venerabimur, vt Admodum Reuerendam & Clarissimam Dominationem Vestrã, Patronum ac Benefactorem nostrum colendissimũ quàm diutissimè florere faciat.

Suo & Commilitonum nomine,

IOANNES IEDLINSKI
DIACONVS.

ALE-

ALEXANDER RADOSZKOWSKI
Presbyter Pruthenus.

Iaſpidem.

ACcipe gemmarum, Benefactor, Iaſpida, lumen,
Qui prior in digitis, vult radiare tuis.
Non quem Chalcidicâ perhibent regione creari,
Aut quem progenerant Thermodoontis aquæ:
Sed quem Memnonijs Hyperion gignit in oris,
Et roſeo pingit flamma nitore iubar.
Qui naturâ hominis præfert, non arte figuram:
Sub pedibus cuius Dipſas anhelat atrox.
Mirandus, qui ceu paleas euentilat hoſtes,
Exq; illis victor læta trophea refert.
Sit licet vt Brontes vultuuè minace Procuſtes,
Vt Steropes pugnax, vt Phlegyasq; ferox:
Haud tamen illius faciem ſufferre valeret,
Quam veluti fulmen turba ſceleſta tremit.
Sic tu virtutum quoniam munimine fultus,
Tartareo quoduis mergis in amne ſcelus:
Iaſpidis es meritò rutilanti lumine dignus,
Nam rutilum pectus Iaſpidis inſtar habes.

IOANNES IEDLINSKI

Diaconus,

Sapphirum.

SApphiri species auri fulgore coruscans,
Proxima deposcit Iaspidis esse Comes.
Nobilis, & fuluo lapis est preciosor auro;
Quem putet, & magnum, Regia palma, decus.
Maxima vis illi, rapit ad Cælestia mentes,
Et sancita Dei, deliciosa facit.
Quisquis eum præfert inuicto robore pollet,
Viribus & nullis succubuisse potest.
Tu pariter quoniam syncero corde Tonantem,
Et verè affectu feruidiore colis.
Nec metuis quamuis Acherusia monstra furentes,
Exagitent imò de phlegethonte minas.
Sapphiri meritò Capias vir magnè virorem,
Sapphiri quoniam, lumen & ipse refers.
Sapphirus Craci, Sapphirus in Vrbe Quirini,
Sapphiri fies splendor in Vrbe Dei.

ALBERTVS KOZŁOWSKI
Diaconus,

Carchedonium.

HIs Carchedoniæ, iungat se gloria, gemmæ,
Non quam dat Thebe, vel Nasamonis ager:
Historici sed quam Diuino rore creari
Testantur: quando Cynthia plena nitet.
Quæ modò Berilli faciem prælustris adumbrat,
Et modò splendores fert Hyacinthe tuos.
Corporibus tetricæ fugat hic symptomata bilis,
Inq; domos stygias mente phrenesin agit.
Intus scintillant, peramæno lumine, stellæ
Cælesti, vt quid sit, lemmate notificent.
Et tua diuino mens nectare plena GILEWSKI,
Et Themidos Sacræ nobilitata bonis.
Ægra non aliter pellit leucomata mentis,
Et docet haud dubiæ prosperitatis iter.
Ergo tuo hæc etiam debetur gemma decori,
Cum sis præsidium perfugiumq; bonis.

ALBERTVS SEVERIENSIS
Subdiaconus,

Smaragdum.

PSittaceas inter vernans pulcherrima gemmas,
Quæ recreet sensus, prima Smaragdus erit.
Gramina grata quidem genialibus edita pratis,
Grata verecundis lilia mista rosis,
Grata per Idæos Serpilla virentia colles,
Grata per Hyblæos thymbra virescit agros:
Non tamen Ismariis certauerit vlla Smaragdis,
Ni vellet næuos prodere stulta suos.
Hanc ego naturæ genio plaudente poloq́,
Annumero gemmis magne Patrone tuis.
Vt vireas semper veluti viret alma Smaragdus,
Floridior semper, floridiorq́ tuis.

IOANNES ZAREMBA,

Sardonychen.

MArtigenûm quondam ornamen prælustre propagis,
Apporto articulis, magne patrone, tuis.
Oderis insano quos ventilat aura tumore,
Quêis ciet elatum, fastus ad astra caput.
Hæc quoq; turgentem conuellit viuida fastum,
Pectora & Herculeæ simplicitatis amat.
Et si fortè cui indomiti præcordia motus,
Exagitant, motus dissipat illa feros.
Quippè bonos taminat malesana superbia mores,
Atq; ingrata Deo quælibet acta facit.
At quibus ingenium, fastum ventosq; perosum,
Præscriptum seruans, à ratione modum.
Multiplices edunt fæcundo germine fructus,
Et præstant patriæ commoda mille suæ.
Ergo age Sardonychen quæ se tibi dedier optat,
Regificum gazis iunge monile tuis:
Vt quo te magìs atq; magìs demittere pergis,
Hoc magìs, inde tui, surgat honoris, apex.

ANDREAS LVBIESKI

Pruthenus,

Sardium.

SArdius addatur, quam vel diademata Regum,
Percupiant ſummum, vertici ineſſe decus.
Roboris infracti ſignum eſt, & agalma vigoris,
Toxiceam membris tollere gnara luem.
Strix licet inficiat, magico cantamine mentes,
Miſceat & rabidâ dira venena manu.
Theſſalicos quamuis ritus, herbasq́ nocentes
Hauriat, & Stygio pocla neſanda lacu.
Sardius euincit, curas & ridet inanes,
Omnibus atq; ex his certa trophæa refert.
Hunc merito Vir magne tuis adiunge Smaragdis,
Iugiter & nobis Sardius eſſe velis.
Læticiâ recrea mentes: ſortemq́ Clientum,
Nubibus obſcuris, ne patiare tegi.
Et quem virtutum fecêre ornamina ſolem,
Perpetuus nobis ſol radiare velis.

THO.

THOMAS CVDNICKI

Beryllum.

QVid mage cõueniens quàm si Beryllon ad istos,
Addamus modò, quos proxima turba, dedit.
Tu nihil inuisum magis, inter monstra malorum,
Esse putas quàm quæ corda stupore tepent.
Noxia torpentes generant Emphismata somni,
Mille caros secum, mille perîcla ferunt.
Hic quoq; torpores lapis execratur inertes,
Vls Thulen rhonchos, vls Garamantas agit.
Hinc Vegentones procul & procul Endymiones,
Et quoscunq; alios otia pigra tenent.
Herculeo contra quos indulgere labori
Sentit, eis fidus percupit esse comes.
Quam bene conuenient tua mens inimica veterno,
Et qui dispellit somnia fœda lapis.
Este procul segnes, procul hinc absistite trunci,
Nos vos ferre potest Sardonychata manus.

CHRISTOPHORVS XILANDER,

Topazium.

EN quoq; sydereo radiosa Topazius igne,
Condalio gestit Fautor inesse tuo.
Hic lapis vt perhibent ingentia saxa peræquat,
De quo formari vel simulachra queant.
Arsinoes statuam miratur fama per orbem,
Cui par nil Phæbi vidit vtrumq; iubar.
Res miranda quidem: verùm vna Topazius illam
Edidit, Arsinoes quæ dedit effigiem.
Huic etenī, vt celebres faceret, Philadelphus, honores
Dum super Ægypti sceptra teneret agris.
Quatuor vlnarum peregrino ex orbe Topazon,
Aduexit de quâ sustulit illud opus.
Non refero quantùm morbis medeatur acutis,
Non quorum cerebro luna nocere solet.
Mentibus & morbos si sacra scientia tollit,
Pneumatis & sacri corda vigore beat.
Non mage conueniet stellata Topazius vlli,
Quam tibi, qui culmen, dogmatos huius habes.
Ex hac perpetuum statuet tibi fama Colossum,
Arsinoes longè qui superabit opus.

ALBERTVS WORKOWSKI,
Chrysoprasum.

CHrysoprasus laudum series quem magna coronat,
Se quoq; auet gemmis insinuare tuis.
Es Candoris amans tenebras fucosq; perosus,
Pœnorumq; nigram Graiugenumq; fidem.
Hic quoq; flammiuomo splendet radiantior auro,
Et iubar in facie, solis ad instar habet.
Occultum sinit esse nihil, nihil obtegit vmbra,
Quod non luminibus, detegat ille suis.
Cimmerias quamuis mediâ cum nocte tenebras,
Et licet ad noctem nubila mille voces.
Nil facies clausum, furuo nil tegmine septum,
Chrysoprasus radiis detegit omne suis.
Ergo huius studio gemmæ capiaris oportet,
Et placido oramus pectore suscipias.
Dignus Iaspidibus dignus viridante Smaragdo,
Dignus Chrysoprasi cui famuletur honos.

STANISLAVS KOSZVCKI,

Amethiſtum.

IVnge tuos prælustrè micans Amethiſte colores,
Et trifidum leui corpore funde iubar.
Cui melius toto poteris donarier Orbe,
Quam quem tecum idem conſociauit honor?
Lumina tu potis es triplici recreare colore:
Hunc decoris triplex, vndiq; cingit apex.
Tres Charites toto, regnare feruntur in Orbe;
Illius aſt omnes, continet vna domus.
Tres Sophiæ partes, ſapientum dicta frequentant:
Nulla harum illius, præterit ingenium.
Quod ſi tu inſanos tollis de pectore motus:
Motibus inſanis, nil magis ipſe fugit.
Et ſi tu, infectis procul arces toxica, membris,
Ille infra Antipodas, toxica mentis agit.
Quin etiam ſi fers queuis proſperrima tecum,
Quis magis obſecro proſpera cuncta meret?
Huc age die lapis queuis fauſtiſſima coge,
Naturæ ſimili te aſſimiliare ſtude.

AL.

ALBERTVS IVNKOWSKI,

Hyacinthum.

FLoris nomen habes cælesti lumine florens,
Florenti te alacrem iunge sodalitio.
Iam socij coëunt alacres sub tecta GILEWSKI,
Qui pariter cultu versicolore nitent,
Tu quoq; dexter adi penetralia festa Patroni,
Et tibi deuinctam perge beare domum.
Floridus es totus, totum te gratia pingit,
Florum: iure lapis floreus esse potes.
Hîc quoq; virtutum vernant in pectore flores,
Hîc quoq; Musarum florea serta virent.
Hac Heliconis aquæ flexu se diuite voluunt,
Hac fons Pegaseus grata fluenta vehit.
Non hîc abiectus cæcis latitabis in vmbris,
Non ærugo tuas rodet iniqua genas.
Splendorem domus ista colit lucemq; serenam,
Maximus hîc etiam tu quoq; splendor eris.

PE-

PETRVS VOLBRAMENSIS,

Opalum.

VLtimus è Sociis non vltima munera porto,
Non auget precium diminuitq́ locus.
Est Opalus gemmas precio qui præterit omnes,
Et genus in radiis omne coloris habet.
Et quidquid tribuit gemmis natura colorum,
Hos Opalus cunctos vnica gemma refert.
Puniceum viridem niueum minioq́ rubentem,
Et quîs vere nouo cunq́ superbit humus.
Hîc merito æternam debet sibi figere sedem,
Hîc quoq́ virtutum flosculus omnis adest.
Hîc habitant omnes iunctis consensibus artes,
Hîc antiqua fides, hic decus omne viget.
Ergo loco lucere isto lapis inclyte perge,
In te omnis color est, hic decus omne manet.